

Herrn Geh. math. Prof. Dr. Oberbeck
ergeben sich Dr. Verf.

18

Wolffius

de Constantini Cypriani anthologie

laeopis primum (Proleg. p. LXX ad. IZXXII) Aut. Pal.
capita I—III XII—XV a Cephala silens esse contentum, dico
dram, non negaverim, sed in illius scripto dico certum esse, et
metria consequitur, ut est in illius suppositio esse certum.
Quia vero a. 1813 codicis Palatini apographis Schleitheim
autographum certe non suppositum esse omnino ut breve obserua
perpetui recipere omnia tantummodo. Tunc Silensis et Lipsiana
glossari descriptio in libro iste quodam bonum. Ante eundem
duo omnia in libro eiusdem edita ea-

De Constantini Cephalae anthologya.

Epigrammatum graecorum anthologya nulla certe maioris
est pretii quam Palatina, sive vetustatem spectas sive magnitu-
dinem sive genuinitatem; maximo igitur litterarum detimento
factum est ut paucis annis post quam a Salmasio in lucem pro-
tracta erat et huic et patriae nostrae eriperetur Romaeque per
duo saecula delitesceret non in bibliotheca sed quasi conditorio
librorum. Longo ex somno tandem expergefecit eam Fridericus
Jacobs, vir tot nominibus de anthologya meritus, ut iure suum
in usum verterit Dioscoridis versus οἱ δὲ μεταπλάσσονται νέοι
τάδε· μυρίος αἰών πολλὰ προσευρήσει χάτερα· τάμα δ' ἐμά¹.
Ante hunc qui anthologyam attigerunt recte iudicare vix potuerunt,
non enim lieuit illis uti codicis Palatini apographis adcuratioribus,
et cum suas quisque schedas pro integris haberet in varios et
miros errores inciderunt². Quos merito missos faciemus, ne quod
temporum culpa erratum est viris imputemus.

Anthologiam hanc Palatinam a Constantino Cephalo compo-
sitam esse Salmasius ex scholis aliquot intellexit³, eiusque no-
mine inde ab illo tempore circumferebatur 'anthologia inedita'; sed
quale fuerit illius opus neque tunc cognitum erat, neque ab eis
qui postea hanc rem tractaverunt recte mihi investigatum esse
videtur, quamquam et Jacobs et alii interdum rectum iudicium
fecerunt, sed paene nescientes, certe sibi non constantes.

¹ Anthol. graecae ad fidem cod. Pal. a. 1813 editae vol. I p. XXIV. — Ep. Dioscoridis legitur Anth. Pal. VII 410; τάμα Meinekii est emendatio.

² Quorum nonnullos qui cognoscere vult adeat Fridericum Jacobs Proleg. (edit. mai. vol. VI) p. LXXXI.

³ Composui haec et quae aliunde de viro illo nota sunt in libello De epigrammatum graecorum anthologyis (Bonnae 1882) p. 9 sqq.

Jacobs primum (Proleg. p. LXX sq. LXXXIII.) Anth. Pal. capita I—III, XIII—XV a Cephalae aliena esse contendit, quamquam ‘non negaverim’ inquit ‘illud τμῆμα, quod carmina variis metris conscripta continent, veteris illius anthologiae partem esse’. Cum vero a. 1813 codicis Palatini apographo Spallettiano usus anthologiam ederet, non dubitavit ea omnia ut partes operis Cephalani recipere omissis tantummodo Pauli Silentarii et Iohannis Gazaei descriptionibus, Gregorii theologi poematis, Anacreonteis¹: quae omnia num ideo praetermisserit quod ab aliis iam edita essent, an quod Cephalae non deberentur nusquam aperte indicavit. Expressis autem verbis Encyclopaediae Halensis vol. IV p. 260 dixit epigrammata ‘christiana’ et ‘variis metris conscripta’ Cephalae operis esse partem, quae opinio quam non sit recta infra evincere conabor.

Quae Jacobs professus erat, quamquam satis ambigua et fluxa, omnibus accepta fuisse videntur, immo eo processerunt viri docti, ut non codicem Palatinum, sed anthologiam qualem Jacobs remotis haud paucis confecerat pro vera Cephalae collectione haberent velut Passow (Annalis philol. 1827 III, 2 p. 59 = *Verm. Schriften* p. 195) qui idem cum de vestigiis coronarum Meleagri et Philippi disputaret (Opuscularum p. 179) libros I—IV, VIII, XII—XV non respici debere unumquemque intellecturum esse adfirmavit, qui ‘in veram horum librorum rationem et compositionem paulo accuratius inquisiverit’. Quod satis obscure dictum est: certe de genuinitate librorum non agit. Cuius vestigia legens Weigand (Mus. Rhen. 1845 III p. 161) cum eandem quaestionem institueret eosdem libros merito seclusit, esse enim a Cephalae alienos, praeter XII quem ab hoc additum esse veri simile videri. Duobus autem annis post corollarium quaestionis scripsit (Mus. Rhen. 1847 V p. 276) quo totam fere anthologiam Palatinam Cephalae adsignare videtur. Neque aliter iudicavit aut Alphonsus Hecker siquidem Commentationis criticae de anth. graeca¹ p. 1 epigrammata libri III a Gregorio Campsicizonte descripta et Cephalae tradita esse censem, quam conjecturam repetit Commentat. crit.² p. 167 ubi libros I et XV quoque Cephalae tribuit², aut qui nuper de codicis condicione librum utilissimum edidit Georgius Finsler. Hic enim ep. I 122 utitur quasi a Cephalae in collectionem recepto (*Krit. Untersuchungen zur Geschichte*

¹ Ed. min. vol. I p. LII nota 52.

² Cf. ibid. p. 200.

der Gr. Anthologie p. 34) cum mihi neque primus liber veteris anthologiae pars esse videatur, neque decimus quintus, ubi illud post ep. XVII redit. Idem Finsler p. 96 librum XIV pro Cephalano habet, p. 101 de libro XV dubitat, p. 10 totam Palatinam anthologyam ut Cephalanam nominat. Haec sufficiant; neque enim ut obtrectarem viris doctis haec congessi, sed ut patet quid his de rebus vulgo putetur. Qua de causa eos tantum adtuli, qui dedita opera de anthologya scripserunt; nam ceterorum eisdem invenies errores.

Unus omnium accuratius hanc quaestionem pertractavit R. I. F. Henrichsen Danus qui dissertationem de anthologyae Pal. origine et aetate et cum Planudea cognitione publici iuris fecit inter scripta societatis litterariae Hayniensis¹. Quam multis ignotam esse, neque ab omnibus lectam qui eam pexstare fando audiverunt mirum non est: per paucis enim nostrum ea cum lingua danica est consuetudo, ut sine summa molestia libros danicos legere possimus. Hoc ne magis dolendum est, quod vir ille haud pauca bene administravit; certe omnes deterruisset quominus anthologyam Pal. sine exceptione pro opere Cephalae haberent. Sed idem cum recte contraheret fines veteris corporis ultra modum progressus praeter libros V, VI, VII, IX nil omnino Constantino reliquit.

Profectus est a scholio quod p. 81 codicis legitur ad initium libri IV Anth. Pal. ούτος ὁ μελέατρος φοίνιξ ἦν τῶν ἀπὸ παλαιστίνης πόλεων ἐποίησεν δὲ τὸν θαυμάσιον τουτονὶ τῶν τῶν ἐπιγραμμάτων στέφανον × συνέταξεν δὲ αὐτὸν κατὰ στοιχείον τῷ ἀλλὰ κωνσταντίνῳ ἐπονομαζόμενος κεφαλᾶς συνέχεεν αὐτὸν ἀφορίσας εἰς κεφάλαια διάφορα. ήτουν ἐρωτικὰ ἰδίως: καὶ ἀναθεματικὰ καὶ ἐπιτύμβια: καὶ ἐπιδεικτικὰ: ὡς γῦν ὑποτέτακται ἐν τῷ παρόντι πτυκτίῳ². Ad quod Jacobs Proleg. p. LXIX rectissime adnotavit scholiastae verba non sic premenda esse ut in-vito illi extorqueamus Cephalam Meleagri tantum coronam non

¹ Om den palatinske Anthologies Oprindelse, Alder og Forhold til Maximos Planudes's Anthologie: Det Kongelige Danske Videnskabernes Selskabs Skrifter. Femte Række. Historisk og Philosophisk Afdeling. IV p. 137 sqq.

² Haec ipse descripsi ex codice ut reliqua quaecunque adfero. Nil mutavi praeter accentus et spiritus apices; siglas incertas aut insitatiores tantum retinui.

item Philippi et Agathiae adhibuisse. (Sed altera statim oritur quaestio, cum scholiasta quattuor tantum nominet capita, num ideo reliqua Cephalae abiudicanda sint. Jacobsio aliter visum est, ‘scholiastes enim’ inquit ‘quattuor priora capita nominasse contentus reliqua non apposuit, sed in verbis ὡς νῦν ὑποτέτακται ἐν τῷ παρόντι πτυκτίῳ intellegi voluit’. Quam interpretationem nemo laudabit; sententiam omnibus placuisse initio (p. 98) dixi. Unus Henrichsen adversa fronte contra Jacobsum pugnat, vetat nos (p. 148) ultra scholiastae verba progredi et plura Cephalae vindicare quam p. quattuor illa capita (V, VI, VII, IX), quibus IV cum probabilitate adnumerari posse concedit (p. 147). Sed liber IV sine ulla dubitatione Cephalae debetur quoniam ipsum illud scholion unde profecti sumus eius initio appictum ἐν τῷ παρόντι πτυκτίῳ Cephalanum opus lego dicit.

Henrichsen igitur ut sententiam suam adminiculet statim librum X adgreditur (p. 148) et veteri anthologiae abiudicat; esse illum quidem praecedentibus initio similem, sed in fine dissimilimum, constare ex longioribus eiusdem poetae carminum ordinibus, deesse carmina novicia post Iustinianum imp. facta, deesse item Meleagri et Philippi et omnino vetustiorum praeter postrema XX ep. Horum autem lemmatibus fidem habendam non esse quia apud Planudem omnia fere sub aliis legantur nominibus. Quae omnia ex scriptoribus desumpta videri ad locupletandum hunc librum. Quod quomodo ex nominibus fluxis consequens esse possit equidem non video. Sed perlustremus postrema illa epigramma. Ep. 104 re vera est pars maioris carminis (Iuliani Orat. VI p. 199^a) et fortasse primitus e scriptore petitum, sed quam pervulgatum fuerit vides ex eo quod et in foliis illis codici Pal. praemissis legitur et in anthologia a Schneidewino edita (Progymnasmata in anthologiam graecam p. 23) respiciturque a Clemente Alexandrino Paedag. III 6, 35 p. 274 Pott. Vetus autem esse quis negabit? Ep. Simonidis (105) in Planudea ἄδηλον est, sed causam non video cur non genuinum habendum sit (cf. Bergk PLG⁴ III p. 471) quamquam in Simonideis cautius est interim cohibere iudicium. Legitur autem hoc loco ut proverbium; nam talia hic congesta esse nemo non intellegit. Unde factum est ut non solum aliorum poetarum versus¹ hic legantur, sed etiam παροιμίαι aliis quoque locis obviae, quibus nescio an etiam Cratetis versus (104) adnumerandi sint. Sic etiam ep.

¹ Ut 107 Euripidis 110 Aristophanis 113 Theognidis 120 Nonni.

106^t saepissime adhibitum est; locos enumerant Heindorf ad Platonis Phaedonem p. 69^c (IV p. 61 ed. Berol. 1809) et anthologiae editores Parisini. Ep. 108 iterum exstat in Alcibiade altero qui inter Platonica fertur p. 143^a, ep. 111 Zacynthi in epistyllo (Kaibel 1116, CIG 1935). Ep. 117 et 123 Phocylidis et Aesopi nomina falso praese ferunt; cf. Bergk PLG^t II p. 68. 62; ita ut re vera inter postrema haec epigrammata praeter Simonidis (105) et Cratetis (104) vetusta non extant², nominibus poetarum non utique falsis insignia tria tantum 112, 121, 124³. Sed appareat ut iam dixi esse hanc aliquam paroemiarum collectionem; has autem et sine nomine auctoris et sub falso saepissime ferri, simulque modo ab hoc modo ab illo usurpari quis est quin sciat? Unde omnes difficultates solvuntur. Sed factum est Henrichsenum contendisse haec ex libris corrassa esse collectionis amplificandae causa, hoc quid ad Cephalam? Nonne etiam alibi novicia et ἀδηλα adulit? Nonne etiam alibi nomina fluctuantur? Bene nobiscum actum esset, si hoc tantum loco sibi non constarent.

Quod vero unius poetae carmina plura deinceps perscripta Henrichsen a Cephalae abhorrere putat, causam aliquam audire aveo. Leguntur in hoc libro Luciani nomine 26—29, Palladae 44—63, 77—99. Longiores vero ordines etiam in libris vere Cephalanis inveniuntur velut V 171—180 Meleagri, VI 134—145 Anacreontis, 146—150 Callimachi, 212—217 Simonidis, 314—320 Nicodemi, 321—329 Leonidae minoris, 336—340 Theocriti, VII 104—116 Laertii Diogenis, 507—516 Simonidis, 517—525 Callimachi, 681—688 Palladae, IX 165—177 eiusdem, 344—356 Leonidae Alexandrini⁴, 454—480 si non eiusdem versificatoris at eiusdem stili, 793—799 Iuliani Aegyptii. Iam vides illam causam nullam omnino esse. Quod autem Meleagri et Philippi non inveniuntur carmina, quis non casu factum esse censebit, cum corona Philippi insit pars haud contempnenda 17—25 (cf.

¹ Olympiodoro (scholia in Platonis Phaedonem ed. Finckh p. 46, 20) si credis versus est Orphei.

² Euripidis Aristophanis Theognidis Nonni nomina hic afferri non debere vides; ea omnia ex scriptoribus ipsis addi potuerunt.

³ Lemma 121 ΠΑΠΟΥ vulgo corruptum dicunt; cf. Gualteri Engel De quibusdam anthologiae gr. ep. commentatorem p. 5 sqq. Dilthey (Finsler p. 125) autem tuetur et cognomen Rarum esse contendit; recte siquid video.

⁴ Inter ep. 353 et 354 iterum legitur ep. IX 123 quod hac de causa Leonidae putandum est, non Antiphili nedum ἀδηλον.

Passow Opusculorum p. 192, Weigand Mus. Rhen. 1845 III p. 542), nam 100—103 non magni pendam. Quod vero poetae novelli non inveniuntur in hoc libro, quis tandem causam putabit cur Cephalae hunc abiudicemus? Sat leves igitur sunt causae contra hunc librum prolatae.

Tum Henrichsen p. 148. 149 eo se convertit, ut etiam librum XI plane diversum esse a certis illis et indubitatis anthologiae Cephalanae partibus demonstret. Meleagri carmina desiderari, multos ordines epigrammatum unius poetae inveniri, quod dispositionis genus libro X incohatum in libris genuinis anxie evitatum esse dicit, quamquam interdum id admissum esse non nescit. Praeterea materiae ratione habita minora hic constituta esse capita lemmatibus distincta, id quod iam Jacobs Proleg. p. LXXIII animadvertisit. Nonnullos poetas hic adhibitos esse in libris vere Cephalanis aut nusquam aut raro obvios, plerosque Agathia vetustiores, ut Ammianum, Lucillium, Lucianum, Nicarchum, Antiochum, Apollinarium, Philonem, Pollianum, primi fere et alterius p. Ch. n. saeculi poetas. Hoc notatum iam esse a Passovio (Annalis philol. 1827 III, 2 p. 61 = *Vermischte Schriften* p. 196).

Quibus rebus omnibus quid tandem efficiatur euidem non video; immo nil est quod illis moveamur. Primum quod desunt Meleagri carmina quid aliud significat quam ab irrigoriis illum abstinuisse¹? Neque illud mirum in primis adhibitos esse poetas I et II p. Ch. n. saeculi: tunc enim florebat hoc irrigorium poeseos genüs ut Passow recte dixit. De ordinibus epigrammatum ab uno poeta confectorum iam antea dixi; huic autem libro insunt longiores ordines hi: Lucillii 75—81, eiusdem 87—95, eiusdem 103—109, Nicarchi 110—116, Lucillii 131—143, eiusdem 174—179, Ammiani 226—231, Palladae 283—293, eiusdem 299—307, Lucillii 308—315, eiusdem 388—393, Luciani²

¹ Nam quod XI 223 Meleagri nomen prae se fert urguere nolivit Favorini nomen idque prosodia haud usitata adhibitum monet, a veteri illo poeta hoc epigramma esse alienum. Fortasse in notum illum Favorinum Arelatensem salse dictum erat; cf. Philostrati Vitas sophistarum η' p. 9 ed. Kayser μές παράδοξα ἐπεχρησμῷ δει τῷ ἑαυτῷ βίῳ τρία ταῦτα Γαλάτης ὡν ἐλληνίζειν, εὐνούχος ὡν μοιχείας κρίνεσθαι, βασιλεῖ διαφέρεσθαι καὶ ζῆν.

² Gualterus Engel haec ut multa Lucillio potius danda esse putat: hoc cum nil ad nostram quaestionem faciat nunc non curo.

400—405, eiusdem 427—436. Vides plures quidem esse quam in reliquis libris, sed non diversos neque inauditos, et qui optimam habeant explicationem: Palladae enim et Lucillii ep. collectiones integrae adhibitae esse videntur, fortasse etiam reliquorum. Sed utut est, etiam si haec libri condicio insolita et nova nobis videretur, omnes scrupuli removerentur vestigiis illis coronae Philippi quae ne huie quidem libro desunt: 24—46, 65—67, 318—327 (exc. 323), 346—348; cf. Weigand Mus. Rhen. 1845 III p. 541. 542. Praeterea libri secundum materiam dispositionem increpat Henrichsen. Sed nullum epigrammatum genus tali dispositioni tam obnoxium est, quam ipsum hoc irrigorium, unde factum ut huie soli libro lemmata ista adderentur εἰς ρήτορας κτλ. cf. Jacobs Proleg. p. LXXIII. In omnibus autem fere libris praeter quintum, quem vel Planudes κεφαλαιώσεως iste ipso Cephalae multo studiosior in capita discribere non est ausus, inveniuntur huius dispositionis vestigia luculenta; cf. Weigand Mus. Rhen. 1845 III p. 162. Quod denique ad poetas adtinet alibi aut nusquam aut raro adhibitos, nihil inde effici potest. Alium enim campum alind sibi ingenium eligit, unde consentaneum est si poetas secundum genera poeseos in classes discedere iubeas, multos in una tantum locum inventuros esse, alias in pluribus vel praeter unam omnibus, paucos ubique. Sed tam suspiciosus est Henrichsen ut sive inveniuntur poetae aliquot sive non inveniuntur, sive novella sunt carmina sive vetustiora, sive bona est ep. dispositio sive mala, omnia arripiat ad damnandos hos libros.

Brevissimus est de libro XII, Stratonis Musa puerili, quam omnino a Cephalae abhorrere dicit, et re vera de hoc libro dubitare licet; postea igitur de hoc atque etiam de reliquis dicam, nam quae contra hos disseruit Henrichsen, eorum quae recte mihi dicta videntur adponam ubi de illis agam, nunc suspiciones Henrichseni hucusque relatas falsas fuisse demonstrasse satis habeo. Sed manet scholiastae illud testimonium posuisse Cephalam ἐρωτικὰ ἴδιως καὶ ἀναθηματικὰ καὶ ἐπιτύμβια καὶ ἐπιδεικτικὰ, quod Henrichsen habet pro fundamento, nos non infregimus. Neque facile est dictu scholiasta utrum quattuor illa capita exempli causa apposuerit, reliqua omiserit — quae sententia forsitan firmetur verbo διάφορα, nam si quattuor tantum erant cur non τέσσαρα dixit? — an totius operis ambitum indicaverit, quae est Henrichseni opinio. Sed quodlibet tu iudicium feceris, sine dubio appetet ex hoc scholio in discrēbendis epigrammatis Cephalam nihil respxisse praeter argumentum. Quae cognitio

nobis postea usui erit. Interim alia sunt quaerenda subsidia quibus totam quaestionem proligemus.

Atque Jacobs Proleg. p. LXX optime provocavit ad aliud testimoniorum in ipso codice servatorum genus, prooemia illa quae aliquot libris praemissa sunt. Liber V pro praefatione habet ep. (p. 87)

νέοις ἀνάπτων καρδίας σοφὴν ζέσιν
ἀρχὴν ἔρωτα τῶν λόγων ποιήσομαι.

πυρσὸν τὰρ οὗτος ἔξανάπτει τοῖς λόγοις¹,
quod sive a Cephalo sive a vetustiore compositum huic uni loco
aptum est, ut quasi consilium eius qui syllogen concinnavit com-
mendet. Initio libri VI (p. 141) haec nunc leguntur: in margine
superiore a manu correctoris scriptum est ✕ ἀρχὴ τῶν ἀναθε-
ματικῶν ἐπιγραμμάτων, tunc erasmus est versus ultimus ep. V
309 (quem eundem in pag. antecedente addidit corrector cum

^πnota /λει~) tunc versu vacuo intermisso a manu prima scriptum
est ep. VI 1* εἰς λίθος² iterumque post spatium unius versus a
manu prima ✕ ✕ ✕ ἀρχὴ μὲν ἡμῖν ὡς φησὶν ἡ τῶν ἔρωτικῶν
ἐπιγραμμάτων ἔκθεσις τετένηται. σκοπὸν ἔχουσα τὴν σὴν ἐξάψαι
διάνοιαν. εἰ τοίνυν τετένηται τὸ προτεθὲν. ἐπὶ τὴν τῶν ἀναθε-
ματικῶν ἀνάγνωσιν μετάβηθι εἴη δὲ καὶ ἐπ' αὐτῆς ἡμῖν ἀνυ-
σθῆναι τὸ σπουδαζόμενον :~ ‘Non dubito’ ait Jacobs ‘quin
is qui his verbis loquens inducitur ipse sit Constantinus Cephalas,
qui se initium ab amatoriis fecisse ait, ut lectoris animum in-
cenderet, ad reliqua legenda scilicet. Hinc apparat ea quae in
codice amatoria carmina praecedunt a Constantini anthologia aliena
fuisse³. Ut illo statim absolvam, nemo dubitabit, quin rectissime
Jacobs I—III anth. Pal. libros a Cephalo alienos esse dicat. Hoc
si non scholion at certe liber IV docet; quis enim unquam homo
sanus prooemium fecit quartum librum operis totius? Nam hunc
librum quasi totius collectionis prooemii vice fungi, omnes puto

¹ Ante hoc ep. legitur in codice φεύγετε νέοι παῖδα κυθήρης
τοξοβόλον ἔρωτα ἐπιγράμματα ἔρωτικά διαφόρων ποιητῶν, quod cum
eo nullo modo cohaerere potest.

² Ex tota huius loci condicione apparat hoc ep. non sexto sed
quinto libro adnumerandum esse; fortasse hoc pertinet λείπει illud ad
V 309. Alienum illud esse ab libro VI etiam eo efficitur quod ad ep.
VI 16 p. 143 legitur ζτ τὰ δύοια τούτων εἰς τὸ ρπ̄ ψηφῖν δτὶ ἔκεις
ἔγραφη. εἰσὶν δὲ τὸν ἀριθμὸν θ̄ quae ad ep. 179 nos delegant in codice
centenarium octogesimum, nam ep. 49 pro duobus est.

concedere, neque ipse Jacobs hunc librum Cephalaean detrahere voluisse videtur, sicut non aperte dixerit quid sentiret¹. Liber alter unde peti potuerit in promptu est, continet enim nihil praeter Christodori ephrasin; etiam liber III una est collectio Cyzicena illa complectens; neque primus liber ideo mihi compositus esse videtur, ut huic syllogae adiungeretur, sed aliunde petitus. Ep. I 122 Michaelis chartophylacis non i magis a Cephala recipi potuit quam Ignatii I 109 de quo infra agam.

Sed ad praefatiunculam illam redeo. Respicit sine dubio quinti libri ep. primum modo exhibitum, de operis totius consilio loquitur ~~καὶ~~ quis tandem haec dicere potuit nisi Cephalas? Nam librario haec non posse adtribui praeter sententiam demonstrant verba ὡς φησί². Ad eundem referendum est quod in fine libri VI legitur (p. 207) ~~καὶ~~ οἱ τῶν ἀναθεματικῶν ἡμῖν ἐπιγραμμάτων χαρακτήρι πεπλήρωται ίκανῶς ἔχων ὡς ἐμαυτὸν πείθω. Porro ad initium libri VII transitur his verbis μετιτέον οὖν ἐφ' ἔτερον οὐκ ἄχρηστον οὐδ' ἀνωφελῆ λαλῆσαι³ τε καὶ πρὸς πάθος ἀγαγεῖν τοὺς ἐντυχάνοντας δύναμενον: ἔστι δὲ οὗτος. οἱ τῶν ἐπιτυμβίων ἀρχὴν ἔχων διοιάνδε. Haec ut priora ad Cephalam redire nullō modo negari potest. Quod autem libro VIII antecedet lemma ~~καὶ~~ ἐκ τῶν ἐπώνυμων τοῦ ἀγίου Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου: μέρος τι τῶν ἐπιτυμβίων ἐπιγραμμάτων in hoc prooemiorum numero habendum non esse unusquisque videt, cum praesertim a correctore demum additum sit in margine superiore. Dolendum omnino quod Jacobs haec Gregorii epigrammata contra codicis fidem singularem librum efficere voluit, nam sunt pars tantum sepuleralium, quod is quoque intellexit, qui p. 691 libro XV ubi magna horum carminum pars iterum exarata est adseripsit προετράφησαν ἅπαντα εἰς τὰ λοιπὰ ἐπιγράμματα εἰς τὸ τέλος τῶν ἐπιτυμβίων (cf. De ep. graec. anth. p. 19). Neque officit quod in fine libri VIII p. 357 legitur τέλος τῶν ἐπιγραμμάτων τοῦ Θεολόγου, nam respondet lemmati in initio libri VIII scripto et a correctore tantum additum est ita, ut postremi duo versus Gregorii delerentur in initio p. 358, iterum adderentur in fine p. 357. Initio libri IX quod legitur ἀρχὴ τῶν ἐπιδεικτικῶν ἐπιγραμμάτων.

Cf. supra p. 100.

² Conferri possunt quae ad librum VII Planudes addidit, ubi eodem modo φησι inseruit librarius.

³ Vociς λαλῆσαι primum λα a correctore in rasura scriptum est; caret igitur haec lectio et sensu et auctoritate. Sed quid antea fuerit dictu difficile.

των : ~ ΟΥΔὲ τοῖς παλαιοῖς ἡμέληται τὸ ἐπιδεικτικὸν εἶδος ἀλλ' ἔστι καὶ ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν εὑρεῖν καὶ ἐρμηνείας ἐπίδειξιν καὶ πραγμάτων γενομένων δύντως ἡ ὥστι γενομένων ἀφῆτησιν¹, quāmquam Cephalas ipse loquens non inducitur, attamen verba eiusdem stili sunt², et quoniam hic liber citra omnem dubitationem illi tribuendus est, etiam haec recte ad eum referemus. Neque ab alio profecta esse videntur quae libro X p. 489 praemissa sunt οὐδὲ οὗτος ξένος οἰδ' ὅτι τῶν ρήθησομένων ἐπιγράμμάτων δι τρόπος τούτο καὶ τῶν παλαιῶν ἐπισημαίνομένων πολλάκις προτρεπτικὰ δὲ τοῦ πρακτέου τοῖς ἐντυχάνουσιν δύντα οὐ τέρψιν μόνην ἀλλὰ καὶ ὅφελος οὐ μικρὸν ἔχει καιρόν τε καὶ τόπον καὶ πρᾶξιν ύφηττούμενα³. Sine dubio autem initio libri XI p. 507 habes Cephalam loquentem τὸ συμποτικὸν εἶδος ἐκ σκωμμάτων σύγκειται καὶ συμβουλῆς τῶν παλαιῶν ἀεὶ παρὰ τὸν πότον ἀλλήλους αὐτοσχεδιαζόντων· ἵν' οὖν μηδὲ τούτων ἀμοιρῆς καὶ ἔξ αὐτῶν ὑπέταξα τὰ ἐμπεσόντα⁴.

Hic parumper subsistam priusquam ad reliqua accedam. Vides libris adhuc recensis (V—XI) et naturam indolemque eandem esse (cf. supra p. 100 sqq.) et omnibus eiusdem stili, immo eiusdem hominis praeftiunculas praemissas esse, quibus utilitas epigrammatum exponitur. Nonnullas harum certo Cephalae attribuere possumus: nonne recte ideo Jacobs omnes hos libros Cephalae dedit? Nam Henrichsen p. 146 temere iactat demonstrari non posse prooemia illa Cephalana esse: deficit ab omni probabilitate qui aliter animum inducit. Neque minus falso p. 147* et 149 Jacobium increpat quasi ille prooemium aliquod soluta oratione scriptum pro testimonio sincerissimo habeat originis Cephalanae. Prosaica unusquisque adlinere potuit: Cephalam hae admonitiones produnt, quibus usus uniuscuiusque epigrammatum generis breviter exponitur. Et immensum quantum interest inter haec prooemia et quae Henrichsen profert libri I τὰ τῶν χριστιανῶν προτετάχθω εύσεβῃ τε καὶ θεῖα ἐπιγράμματα

¹ Voces priores quattuor corrector adiecit in margine superiore, reliqua a librario ipso in contextu exarata sunt.

² Interpretabatur publice epigrammata Cephalas, cf. scholion ad VII 429 p. 273, De ep. graec. anth. p. 10: idem studium profitetur quisquis illa scripsit.

³ Quod in margine superiore adiecit manus saeculi XVI ἀρχὴ τῶν προτρεπτικῶν omittendum esse duxi.

⁴ Iterum in margine superiore a manu recenti adiectum est Ἀρχὴ Σκοπτικῶν.

κανοὶ Ἔλληνες ἀπαρέσκωνται : ~¹ et libri XIV Γυμνασίας χάριν καὶ ταῦτα τοῖς φιλοπόνοις προτίθημι ίνα γνῶς τί μὲν παλαιῶν παῖδες τί δὲ νέων. Ut igitur breviter comprehendam : libros Anth. Pal. V, VI, VII (eui contribuendus tanquam pars est VIII) IX, X, XI uni collectori deberi demonstrat et natura similis et praefatiunculae similes; collectorem hunc esse Cephalam aperte demonstrat scholiasta libri IV in hac una re indiligens, quod quattuor tantum genera epigrammatum nominavit exempli causa, non omnia. Libros I—III a Cephalā alienos esse, quod iam Jacobs optime vidit,² apertissime testatur scholiasta libri V; librum IV re vera fuisse collectioni Cephalae praemissum demonstrant scholiastae verba ἐν τῷ παρόντι πτυκτίῳ.

Iam videamus de reliquis libris quid sit statuendum. Ac de XII quidem libro cum multis res dubia visa est, tum mihi; nam cum alias Cephalas epigrammata in singulos libros discripserit argumenti ratione habita, hoc uno libro comprehendit, quae iam ante in libro V poni potuere. Sed sunt quae me moveant ut hunc quoque librum a Cephalā ipso additum esse putem. Primum enim de genere epigrammatum, aliquid interesse inter hunc et V librum concedendum est. Tum lege quae initio libri XII p. 569 scripta sunt³ καὶ τίς ἀν εἴην εἰ πάντων σοι τῶν εἰρημένων τὴν γνῶσιν ἐκθέμενος τῶν⁴ στράτωνος τοῦ σαρδιανοῦ παιδικὴν μοῦσαν ἐπεκρυψάμην ἦν αὐτὸς παίζων πρὸς τοὺς πλησίους ἐπεδείκνυτο τέρψιν οἰκείαν τὴν ἀπαγγελίαν τῶν ἐπιγραμμάτων οὐ τὸν νοῦν ποιούμενος ἔχου τοίνυν τῶν ἔξῆς. ἐν χορείαις τὰρ ἡ γε σώφρων κατὰ τὸν τραγικὸν οὐ διαφθαρήσεται. Quae manifesto Cephalae mihi esse videntur, non quod librarii captum excederet versus tragicī (Euripidis est Baccharum v. 317) sed quod qui ita loquitur fatetur se etiam antecedentia composuisse, hunc vero librum addere postremum (cf. πάντων τῶν εἰρημένων). Accedit tertium et, si quid video, haud parvi momenti. Priorum anthologiae, Meleagri et Philippi, cum κατὰ στοιχείον compositae essent discriptionem κατὰ εἰδη non recipiebant; hanc aetate Byzantina invaluisse veri simile est. Primum exemplum Agathias praebet. Hic quemadmodum Cyclum suum noviorum poetarum discripserit ipse sat multis verbis narrat prooemii sui v. 113—133. Septem

¹ Pro oī scriptum est Δ. Λειψόνη illi εἰς αὐτὸν ερειπεῖται.

² Iterum in margine superiore manus novicia adlevit Στράτωνος τοῦ σαρδιανοῦ.

³ τῶν delendum esse monet Bücheler.

constabat libris quorum I continebat dedicatoria, II descriptiones regionum et operum artis, III sepulcralia, IV ep. in varios humanae vitae casus, V satirica, VI amatoria, VII convivalia. Planudes cum octo fere saeculis post anthologiam suam componeret haec constituit capita: I demonstrativa, II satirica, III sepulcralia, IV ep. εἰς θεῶν ἀγάλματα καὶ ἀνδρῶν στήλας καὶ ζώων μορφὰς καὶ ἔτι εἰς τόπους, V Christodori ephrasin et versus in statuas aurigarum factos, VI dedicatoria, VII amatoria. Vides genera non eadem ab utroque constituta esse, nam respondet tantum Agathiae libro I Planudis VI

Agathiae librum IV non expressit Planudes neque VII, novum pro his induens genus demonstrativum (I) et unum librum contra sanum iudicium implens Christodoro, qui omnino prouul habendus erat, et epigrammatis illis quae rectius quarto libro ponerentur. Servavit autem numerum septem librorum. Quem eudem Cephalae quondam placuisse puto. Continebat igitur primitus eius florilegium septem hos libros: I amatoria, II dedicatoria, III sepulcralia, IV demonstrativa, V exhortatoria, VI convivalia et irrigatoria, VII Stratonis musam puerilem. Libros igitur Agathiae V et VII uno expressit sexto, reliquos imitatus est, ita ut Agathiae libro I respondeat Cephalae II

Unum librum Agathiae secundum non respexit, sed eius loco induxit genus demonstrativum (IV) omnia ista quae Agathiae liber II continebat et plura amplexum, universæ describendi rationi melius conveniens. Septenarium autem numerum ut impleret Stratonis collectionem minus apte adscivit. Nam ne quis forte putet

⁴ Stratonis collectionem dico quamquam aliter de ea statuendum esse puto atque prioribus visum est. Hi enim (Jacobs Proleg. p. XLVI, Weigand Mus. Rhen. 1845 III p. 162. 557) librum XII pro vera Stratonis Musa puerili habent, vel saltem pro eius ut ita dicam materia. Sed neque omnia quae illi infuerunt olim carmina nunc insunt (ut Anth. Pal. XI 21. 22. 225) et sat multa quae antiquitus non infuerunt. Nam non colligidis aliorum poetarum lusibus operam dedit Straton, sed suos tantum uno libro comprehendit. Cui postea similis argumenti

Cephalam librum qui Anth. Pal. est quartus propterea numerasse, sufficit commonefacere scholii illius, quod demonstrat eum amatoria ἀρχὴν fecisse; cf. supra p. 104. Possit etiam aliquis obicere intercidisse librum unum epigrammata in artis opera comprehendentem, similem Agathiae libro alteri Planudis quarto, ut iam Friderico Jacobs aliis de causis visum est (Proleg. p. LXXXV) et Georgio Finsler (p. 118). Sed quae hic ex codicis condicione concludere se posse ratus est, ea mihi De epigr. graec. anth. p. 16 redarguisse videor; de Jacobsi rationibus breviter nunc referam. Planudem cum ex uno Cephalae florilegio suam delibasse putaret, unde quae apud hunc non leguntur arcessiverit explicare nequibat nisi codicis Palatini librarium ea omisisse, Planudem integriore exemplo usum esse statueret. Planudis vero liber quartus fere totus cum apud hunc unum inveniatur, non dubitavit vel totum librum a librario omissum putare. Sed hoc est conjecturam conjectura stabilire. Atque demonstrari potest Planudem praeter Cephalae florilegium adhibuisse aliud, unde omnia illa sumpta esse quae Cephalae desunt probabiliter conicias; cf. De epigr. graec. anth. p. 31 sqq. Hae igitur causae nullae sunt. Omnino autem veri non est simile exstisset olim apud Cephalam librum singularem de artis operibus et locis, cum talia libro IV (Anth. Pal. IX) inserere debuerit. Quid, quod haud ita paucis epigrammata quae deperdito illi libro adrogantur et re vera in Planudis libro IV leguntur, exstant adhuc in libro Anth. Pal. IX? Quae Jacobs Proleg. p. LXXXV et Finsler p. 118 bene composuerunt. Haec omnia Cephalam contra suum ipsius consilium in libro Anth. Pal. IX posuisse cum inferre deberet deperdito illi quis tandem credat? Ut nostras conjecturas servemus illine obicieimus neglegentiam vel in monacho Byzantino inauditam? Nam licet in disponendis epigrammatis saepe erraverit, non tot locis rationis oblitus est ut hoc ei imputare par sit. Quod si concedis etiam illud concedendum est, septem quondam libris constituisse florilegium Cephalanum qui nunc sunt Anth. Pal. V—XII.

Sed de postremis Palatini codicis libris nondum regi, Cen-

carmina immixta sunt. An putas elegantis iudicii hominem sic dispositum fuisse carmina: 1—11 Stratonis; 12—174 aliorum poetarum quibus interposita sunt Stratonis 13, 15, 16, 21; 175—229 Stratonis; 230 Callimachi; 231 Stratonis; 232 Seythini; 233 Frontonis; 234—255 Stratonis; 256, 257 Meleagri; 258 Stratonis? Temere potius mixta vides. Unde factum ut etiam alias argumenti carmina in hanc collectionem irreperent ut 43, 45, 46, 47, 50, 173.

phalae eos non deberi sumpsi, non demonstravi. Quamquam unum iam adtuli p. 107: ex proemio libri XII concludit posse hunc totius collectionis quondam fuisse postremum. Subterfugere possem demonstrandi officium, et ad Henrichsenum te delegare qui p. 149 de his legit. Attamen satius est repetere hic causas ne in posterum apud illum delitescant sermonis insoliti tenebris obrutae neve hie aliquid deesse iure queraris. Fortasse etiam aliquid addere possum.

Anth. Pal. liber XIII continet epigrammata διαφόρων μέτρων prooemium solitum abest. Recte Henrichsen Cephalam dicit haec carmina si nosset inserturum fuisse reliquis libris. Nam metrum illum alias non respicere, nec solum disticha, hexametros, iambos admittere sed etiam rariora ut VII 728. Cuius rei multo plura exempla adponi possunt VI 193. VII 98. 101. 102. 111. 113. 116. 118. 345. 390. 663. 664. 706. 744. IX 110. 436. 485. 598. 599. 600. XI 47. 48. Vel hac de causa librum Cephalae abjudicabimus. Accedunt alia. Poetas quorum carmina huic libro inserta sunt si perlustramus optimae aetatis invenimus omnes; praeter Philippum, si Thessalonicensis est ep. 1, Meleagro omnes antiquiores, saeculo III non recentiores, quorum quidem de aetate aliquantulo certiores sumus. De uno Parmenonte (ep. 18) sive in eum sive ab eo factum est carmen res prorsus dubia. Ep. 11 falso Simonidi adscribi demonstravit Bergk PLG⁴ III p. 514 ep. 187 et ante eum Brunck Analectorum III lection. p. 23; sed hoc ad nostram quaestionem nihil facit: certo saeculi V est epigramma. Ep. 13 quod quam egregie Meineke emendarit ipsum marmor nunc Athenis inventum demonstrat¹ Cresilae nomine quinto a. Ch. n. saeculo adsignatur², neque multo post factum est ep. 16 in Cyniscae Agesilai sororis victoriam³. Ep. 15 collato

¹ Cf. Kirchhoff CIA I 403 p. 187, Kaibel 751, Meineke Delectus p. 235.

² Vide Brunn *Gesch. der Griech. Künstler* I p. 260, Overbeck *Schriftquellen* 870—876.

³ Hoc quoque ep. multa post saecula in lucem rediit Olympiae effossum, cf. Furtwängler *Archäol. Ztg.* 1879 XXXVII p. 151. Lapis omnino concordat cum codice praeter ΕΣΤΑΣΕ v. 3 ubi codex ἔστησε habet, quod Valekenaer Theocriti sui p. 199 male in ἔστησα mutavit. — De aetate videndi Brunck Anal. III lect. p. 21 ad ep. 66, Jacobs vol. VI p. 243. — Data occasione moneo locum Paus. VI 1, 6 non recte videri constitutum. Editur γέραπται δέ καὶ ἐπιγράμματα ἐς τὴν Κυνίσκαν ἔχοντα cum ex Paus. III 8, 2 sciamus unum tantum fuisse ep. et constructio sit contorta. Legendum est ἐπιγράμμα τὰ ἐς τὴν Κ. ἔχον.

Diodoro XV 14 olympiadi 99 = a. 384 a. Ch. n. adtribuemus. Ep. 17 iterum Simonideae est aetatis; Iphion pictor quo tempore vixerit aliunde non constat¹, scripsisse autem in hunc ep. IX 757 fertur Simonides.² Tam veterum poematum collectionem tempore demum Byzantino factam esse, nonne permirum esset? Atque etiam mirabilius Cephalam qui rei metrice tam neglegens erat ut Herodoti locum pro versibus concoqueret (Anth. Pal. IX 703) hic numerorum tam curiosum evadere aestimatorem, ut horum unorum ratione habita epigrammata disponeret. At qua ratione. Non quam elegantis epigrammatum libri collector adhibiturus sit, sed quam grammaticus severus strophae naturam explicans. Hunc enim ordinem valere unusquisque videt. Primo inlustrantur versus κατὰ στίχον adhibiti, inter quos quod versus heroicus quem primo loco poni par erat desideratur, non mirum: aliquot Homeri versus adpositi fuerant quos postea omiserunt. Nunc igitur primo loco legitur Philippi πεντάμετρον μόνον si scholiastae credis, quamquam versum qualis est quintus πάντη γὰρ πᾶσιν σὴν δηλοῖς τιμὴν pentametrum vix recte dixeris. Hoc potius egisse videtur poeta (ut me quandam monuit Bücheler) ut quaecunque valerent formae penthemimeris eas omnes deinceps exprimeret, a dactylis ad spondeos sensim descendens. Perscribuntur deinceps trimeter iambicus, iambus clodus, tetrameter trochaicus, trimeter iambicus catalecticus, phalaecius seu hendecasyllabus, dimeter iambicus catalecticus, asynartetus constans ex tetrametro dactylico et ithyphallico, pentameter trochaicus catalecticus, choriambeus versus (ep. 2—10). Hi sunt versus κατὰ στίχον adhibiti. Inde transitur ad systematica et primo loco (ep. 11) ponitur stropha ex tribus asynartetis variis constans, de qua vide Bergk PLG⁴ III p. 514; Hephaestio inter μετρικὰ ἀτάκτα positurus esset: cf. eius enchiridion cap. 17 et fr. περὶ ποιήματος cap. 4. Quae

¹ Cf. Brunn *Gesch. der Griechischen Künstler* II p. 57, Overbeck *Schriftquellen* 1971, 1972.

² Tribuebatur saltem hoc ep. Simonidi. In cod. Pal. lemma est omissum, εἰς tantum legitur; sed Planudes IV εἰς ζωγράφους qui hic Cephalae vestigia legit eum ep. 756, 757 coniuncta exhibeat, Σιμωνίδου inscribit. Huius re vera esse putat Bergk PLG⁴ III p. 503. Alter visum est Beendorfio De anthol. graecae ep. quae ad artes spectant p. 27. — Ep. XIII 17 quod Brunck Anal. I p. 142 sine causa Simonideis inseruit post mortem pictoris scriptum esse videtur (Bergk PLG⁴ III p. 517) sed non multo post.

secuntur ἔξι δόμοίν constant: ex versu heroico cum trimetro iambico, ex elegeo et trimetro, ex elegeo duobus trimetris iambicis hexametro¹, ex duobus versibus heroicis et pentametro, ex tribus hexametris et pentametro, ex versu heroico et dimetro iambico, ex versu heroico et phalaecio, ex versu heroico et logaoedico, ex versu heroico et trimetro iambico catalecticō² (12—20). Hac serie ut vides a versu heroico incipit, et quotquot eum illo compositi sunt versus enumerantur. Iam secuntur quae a trimetro iambico incipiunt (21. 22) quorum prius ithyphallicum addit, alterum logaoedicum. Tunc habes tetrametrum iambicum cum trimetro catalecticō (23) et dimetrum iambicum cataleeticum cum phalaecio (24) iamque ad asynartetos pervenitur. Ep. 25 ex duobus dimetris iambicis cataleeticis constat et asynarteto (tetrapodia dactylica cum ithyphallico), ep. 26 ex eodem asynarteto et trimetro iambico cataleeticō, ep. 27 ex eodem asynarteto trimetro iambico hexametro dactylico trimetro iambico, ep. 28 ex eodem illo et alio asynarteto (tripodia iambica catalectica et tetrametru logaoedico)³. Quod sequitur ep. 29 postea additum

¹ Hecker Comm. crit.² p. 91 putat intercidisse in fine pentametrum, ita ut olim ex duobus elegeis intermissis duobus trimetris constituerit ep. comparatque Crinagorae ep. IX 239. Dubito; nam plena est et absoluta sententia. Neque Crinagorae ep. adferri debet; cf. quae post Reiskium de eo dixit Geist *Krinagoras von Mytilene* p. 26. Denique ep. quale constituit Hecker vix inter poemata ἔξι δόμοίν locum inventurum erat, sed aut inter μετρικά ἀτακτα aut μικτὰ συστηματικά; cf. Hephaestionem l. c.

² Ep. 20 v. 2 quomodo et interpretandus et legendus sit dubitatur; sed certum videtur metrum. Bergk PLG⁴ III p. 499 in annotatione quam constituit formam nullo modo ferri potest: voluit enim v. 1 et 3 esse asynartetos cum certissimum sit totam hanc seriem epigrammatum incipere ab hexametris, quae ab asynartetis incipiunt ep. postea demum sequi.

³ In codice huius ep. lemmati praeit aliud καλλιμάχου ἐπὶ τῷ αὐτῷ τετραμέτρῳ ἐνδεκασύllabōs (lege ἐνδεκασύllabōs) cuius ep. periit; extare adhuc coniēcit Hecker Comm. crit.² p. 127 Anth. Pal. VII 728 summa cum probabilitate. Habet enim hoc lemma :: καλλιμάχου || εἰς θέρειαν τινά δίγμητρος || γραῦν αἰσιως τελευτήσασαν || ἐπὶ τῷ αὐτῷ τετραμέτρῳ ἐνδεκασύllabōs. Altera tantum sectio a manu prima scripta est, prima et tertia ab ea quae lemmata addere solet, quarta ab eadem in rasura. Boissonade haec non debuit mutare in ἐπὶ τῷ ἀρχιλοχείῳ τετρ. quamquam ut illic legitur sensu caret. — Animadverterat nescio quis hoc ep. bis ferri (unde fortasse VII 728 ζῆται illud remansit nisi

esse videtur, nam hexametro dactylico cum trimetru iambico coniuncto iam ep. 12 conscriptum erat, ita ut ne turbato quidem ordine hic pervenisse censendum sit. Tunc autem appareat etiam ep. 30 et 31 nullo modo pristino corpori adnumerari posse; quod eo optatius nobis evenit quod illa sicut nunc leguntur vix ante tempus byzantinum scripta esse possunt, adversatura igitur essent vetustati collectionis. Hexameter utriusque epigrammatis bene se habet, sed tetrametri mali aut pessimi sunt. Scio Schneidewinum artificiosam horum versuum explicationem excogitasse¹: Simonidem Timocreontemque invicem se lusisse versibus detorquendis, quam Bergk PLG⁴ III p. 506 et 541 maxima ex parte probavit. Sed mihi non poetarum verum metricorum lusus esse videtur, qui transponendis verbis novos versus efficiebant. Idem artificium² invenies apud Caesium Bassum GL ed. Keil VI p. 263, Dionysium De comp. verb. 4.

Quae hucusque de hoc libro disserui si tecum reputas, num dubitas quin haec epigrammata omnia aut eo consilio congesta sint ut scriptiōnem aliquam περὶ ποιήσατος illustrarent, aut quod mihi veri similius videtur, ex tali libro excerpta? Nam excerpta ea de causa puto quod nonnulla mutila sunt (ep. 4. 9. 10) quod in collectione integra excusationem non haberet, in libro metrico habet. Egitur autem videtur metricus ille quisquis fuit de strophā Archilochia ut ita dicam, et ne Lesbicam quidem respexisse, nisi partem tantum nos exemplorum tenere credere mavis. Quas quaestiones unde solvam non habeo, neque similem apud veteres metricos dispositionem offendi. Sed si verum est quod antea dixi nullum ep. tertio a. Ch. n. saeculo esse recentius³, consequens est etiam metricum illum optimo vixisse tempore; permultum igitur interesset scire quisnam fuerit.

mavis olim fuisse ζῆτει τὸ μέτρον ut IX 110) altero loco delendum indicavit, quod postea factum est, simulque priori posterius lemma adiunxit. Nam verba εἰς ἱέρειαν . . . τελευτήσασαν in libro XIII nunquam lecta fuisse apparet, unde simul efficitur utroque loco primitus lectum fuisse ep. non ex posteriore priori inlatum.

¹ Simonidis reliquiarum p. 219. At Delectus sui p. 426 rem non satis apertam esse ipse fatetur.

² Similiter versus 'reciprocos' investigaverunt (vide Marium Victorinum GL VI p. 118) et adeo isopsephos Homero obtrudere non erubuerunt (Boissonade Anecl. graeca II p. 461).

³ Philippum illum qui ep. primum condidit non putarim esse Thessalonicensem.

De libro XIV Henrichsen p. 149 haec dicit: non carere quidem praefati uncula illa prosaica quam Jacobs pro optimo testimonio originis vere Cephalanae habuerit¹, sed tamen certissimis argumentis demonstrari posse postea demum eum esse additum. Esse hunc librum molem indigestam προβλημάτων ἀριθμητικῶν, aenigmatum poetae nomine fere destitutorum, oraculorum aliunde et notorum et sumptorum praecipue ab Herodoto cuius etiam pedestrem orationem duo referrent ep. 80. 85 = Her. I 91. VII 169. Prae ceteris aenigmata byzantinae originis signa prae se ferre: metri et prosodiae neglectum talia. Tria a Michaele Psello minore condita esse 5. 35. 58, a Boissonadio edita inter huius aenigmata Aneed. gr. III p. 429. Quae cum ante saeculum XI scripta esse nequeant, a Cephalae recepta esse non posse².

Quarum rationum praeter postremam nulla veram habet vim. Nam si aenigmata etc. addere voluisse Cephalas vix aliter disponere potuit librum; quod Byzantii pleraque nata sunt: etiam epigrammatum pars magna novella est; quod ex Herodoto excerpta: etiam Cephalas usus est singulis scriptoribus; quod prosaica sunt 80 et 95: est etiam IX 703. Ac postremae causae aliquis obiciat fortasse a Psello antiquiora aenigmata esse recepta. Et re vera Pselli aenigma decimum in alio codice Parisino inter aenigmata Basiliī Megalomytis, undecimum in collectione Aulicalami invenitur (Boissonadē Anecd. gr. III p. 432). Sed illi collegisse se aenigmata ipso operis titulo fatentur, Psellus condidisse se dicit; nec video cur ei fidem abrogemus. Valet igitur haec causa, neque minus quae antea de libro XII collectionis olim postremo dixi et de numero septenario librorum Constantini Cephalae (p. 107).

De libro XV cuius titulum συμμικτὰ fecit Jacobs cum in codice nullus legeretur, brevior est Henrichsen. Praeter alexandrinae aetatis technopaegnia cetera omnia recentissima esse, non concinere praeterea hunc librum cum vere Cephalanis. Quae etsi adversarium vix victura essent, tamen rectissime abiudicavit

¹ Qua de re antea (p. 106) dixi; iniustius hic Henrichsen cum Jacobsio agit.

² Putavit Henrichsen etiam plura huius libri aenigmata Psello deberi, quod si integroribus eius collectionibus uteremur facile esset confirmare. Nam Boissonadii codex cum XVIII tantum haberet carmina Allatius utebatur libro XLI continente; cf. eius librum De Psellis Fabricii Bibl. graec. V app. p. 47 = X p. 77 Harles.

librum Cephalae. De ordine huius libri turbato dixi pristinumque restitui De ep. graec. anth. p. 19 sqq. Sed vel sic omnia casu conflata esse appareat. Post librum enim XIV legitur in codice Iohannis Gazaei ecphrasis quam Cephalanae anthologiae partem esse nemo putabit; eius in margine et post finem bis legitur ep. in idem hoc carmen, quod ep. Jacobsio est XV 1. Quod cum ab Iohanne Gazaeo divelli nequeat, ipsum autem agmen libri XV ducat, Iohannes autem Cephalanae anthologiae pars non fuerit, consequens est totum librum XV non pertinere ad illam. Quod si quis non probat primum tantum ep. una cum ecphrasi eximendum esse opinatus, ex hoc quaeremus quod tandem epigrammatum εἰδος hoc libro Cephalas complexus sit. At ne unus quidem liber est. Index initio codicis affixus¹ quattuor partes enumerat: Iohannis Ecphrasin, technopaegnia, Anacreontea, epigrammata Gregorii et aliorum; re vera autem sunt quinque cum statim post Gazaeum XXV epigrammata legantur. Neque hoc leve est quod recentissima sunt omnia fere, immo magnam partem Cephalae non antiquiora².

Nam praeter technopaegniorum et Anacreontorum poetas et Gregorium Iohannemque Gazaeum duorum tantum virorum carmina huic libro insunt Agathia antiquiorum, Palladae et Cyri. Tum habemus Leonem philosophum de quo admodum difficilis est quaestio cum plures eiusdem nominis extiterint homines. Plerique putant imp. eum esse Leonem VI (886—991) qui illo cognomine gaudebat; sed unum tantum est carmen³ quod certo Leo imp. fecisse fertur Matrangae Aneed. graec. p. 683 Λέοντος φιλοσόφου καὶ βασιλέως (fortasse legendum τοῦ β.) pessimae notae. Praeterea Anth. Pal. IX 581 si re vera Leonis alicius esset imperatoris non esse vix posset, ut iam Jacobs vidit (vol. XIII p. 907), sed a Planude tantum illi tribuitur. Sunt autem carmina Leonis philosophi quae imperatoris esse nullo modo possunt velut quod in Matrangae Aneed. graec. legitur p. 557; quis enim credat imperatorem docuisse Constantinum quandam et postea ab hoc tam acerbis contumeliis lacescitum⁴ tam comiter se defendisse?

¹ De quo cf. De ep. graec. anth. p. 21 sqq.

² Idem Henrichsen p. 150 contendit, sed rationes vix addidit et de singulis poetis minus accurate egit.

³ De oraculis illis, quae nuper edidit Aemilius Legrand *Les oracles de Léon le sage* cf. Fabricius Bibl. graec. VII p. 696 Harles.

⁴ Matrangae Aneed. gr. p. 555 sq.

Neque igitur ep. Matrangae p. 559 et 560 imperatoris sunt, quae eiusdem poetae esse dicuntur¹. In codice Barbarino olim exstitit praeterea Λέοντος ποιητικοῦ καὶ φιλοσόφου ἀνάκρεόντιον εἰς τὰ βρουμάλια τοῦ Καίσαρος Βάρδα² quod nihilo minus imperatoris esse nequit. Barda enim Michaelis III avunculus Caesaris dignitate fruebatur annis 856—866. Fuit ergo poeta Leo philosophus ab imperatore diversus, iam Bardae tempore vivens, studiis philosophicis et poeticis deditus ideoque tanquam paganus suspectus, aetate proiectiore Photii amicitia fruens, versuum pangendorum admodum peritus, quem ego celebrem illum mathematicum esse puto³. Nam Constantinus in vectivi carminis alterius v. 12 (Matrangae p. 556) eum apud inferos inventurum esse dicit Χρυσίππους Σωκράτεας Πρόκλους τ' ἡδὲ Πλάτωνας Ἀριστοτέλεις Ἐπικούρους Εὐκλείδας τε φίλους καὶ Πτολεμαστρονόμους, unde elucet cum Euclide et Ptolemaeo eum artissimo vinclo coniunctum fuisse. Ante Cephalaean tempus sua carmina emisit, nam quae in anthologia sub Leonis nomine leguntur huic vindicare non dubito, praesertim cum haud pauca ad mathematicam et astrologiam pertineant (IX 200. 201. 202. 578). Eiusdem esse puto ep. de aquae frigidiae usu (Schneidewin Progymnasmatum p. 7, Piccolos Supplément à l'anthologie grecque p. 209, Boissonade Anecd. gr. II p. 469). Tertius vero est Leo magister cuius carmina non optimae notae habes apud Matrangam p. 561, Bergk PLG⁴ III p. 355. Canit Leonis imp. nuptias, quasnam incertum, et Helenam Constantini VII sponsam (a. 919; cf. Muralt *Essai de chronographie byzantine de 395 à 1057* p. 495): fortasse idem est quem Cave Hist. litt. II Diss. p. 12 nominat. Matranga autem praef. p. 25 fuse et confuse demonstrare studet non solum Leonem philosophum eundem esse atqne imperatorem, sed etiam Constantimum Siculum eius esse discipulum, sine ullo argomento. Quis fuerit Constantinus ille Leonis discipulus, qui postea magistrum acerbissime increpavit (Matranga p. 555 sq.) nescimus. Constantini Siculi praeter ep. Anth. Pal. XV 13 versus Anacreon teos habemus (Matranga p. 689, Bergk PLG⁴ III p. 348); sed cum nullum temporis indicium insit carminibus aetas viri incerta manet. Quod idem cadit in Theophanem, qui contra Siculum versus fecit

¹ Matrangae Anecd. gr. p. 559 dicit se Φώτιον ἀρχιερῆτα τεροντοδιάσκαλον invenisse: at imperatorem iuvenem instituerat Photius.

² Bergk PLG⁴ III p. 340.

³ Cf. Allatius De Psellis Fabricii Bibl. gr. V app. p. 2 = X p. 41 Harles. Sed Harles quae de Leone dicta erant falso de Psello accepit.

(XV 14. 35) qui que vix fuit chronographus ut videbatur Weigando Mus. Rhen. 1847 V p. 285. Item Anastasius balbus (XV 28) quo tempore vixerit plane ignoramus.

Ignatii carmina habemus septem Anth. Pal. I 109, XV 29. 30. 31. 39, Boissonade Anecd. gr. (I p. 161) IV p. 436. Unum Anth. Pal. I 109 habet temporis notam cum laudet merita Basilius Constantini Leonis imperatorum, factum igitur est post a. 911 neque paucis annis post cum Constantinus VII admodum puer ad regnum pervenerit. Sed num omnia carmina huic Ignatio adtribuenda sint dubium est, teste enim Suida fuit Ἰγνάτιος διάκονος (de quo cf. Oudin Script. eccles. II p. 105) καὶ σκευοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ΚΠόλεως καὶ γετονώς μητροπολίτης Νικαίας τραμματικός. ἔγραψε βίους Ταρασίου καὶ Νικηφόρου τῶν ἀγίων καὶ μακαρίων πατριαρχῶν, ἐπιτυμβίους ἐλέτους, ἐπιστολάς, ιάμβους εἰς Θωμᾶν τὸν Ἀντάρτην ἀπερ ὀνομάζουσι τὰ κατὰ Θωμᾶν καὶ ἄλλα πολλά. Mortuus est Tarasius a. 806 Nicephorus 829 (cf. Muralt *Essai* p. 391. 412) quorum aequalis vulgo putatur Ignatius. Tunc autem nullo modo ep. I 109 condere potuit; duo igitur essent Ignatii poetae. Sed nullam video causam cur non unum fuisse statuamus tempore Constantini VII qui et carmina et vitas patriarcharum scripserit.

Arethas diaconus, postea archiepiscopus, Caesareensis circa a. 920 floruit; cf. Oudin Script. eccles. II p. 426.

Cometas Jacobio videbatur sub tempora Cephalae vixisse propter versus scopticos illius carmini XV 40 adscriptos: sed nihil inde efficitur. Tradebantur hi una cum carmine. Nihil igitur obstat quominus eum esse putemus, qui Michael III regnante inde ab anno 863 grammaticam professus est CPoli; vide Villoisonis Proleg. ad Homerum p. LIX, Muralt *Essai* p. 438.

Cephalae porro vix aequalis fuit Michael chartophylax qui ἴδιοχείρως anthologiam illius descripsit (Finsler p. 32).

Constantinum denique Rhodium (ep. 15—17) Reiske (Anthologiae gr. libri tres p. 225) eundem esse atque Cephalam suspicatus est Jacobiumque habet adstipulantem (vol. XIII p. 874 et Proleg. p. LXXV). Duo nomina quomodo explicari possent neuter dixit. Suspicetur aliquis Constantino prius ac verum fuisse Rhodio, postea inditum Cephalae; ut Heckero visum est (Comm. crit. 2 p. 165) qui κεφαλαιώσεως gratia cognomen ei datum esse putat. Quam sententiam amplecti non debuerunt Schneidewin (Progymnasmatum p. 9) et Finsler (p. 152). Nam κεφαλαιώσις

illa non tanti erat ut nomen inde derivarent. Cephalas vero nihil aliud sonat quam Capito, homo magno capite insignis. Hanc veram vocis Κεφαλᾶς vim esse et etymo apertum est, et habeo si adhuc diffidis testimonium luculentum. Logotheta¹ Georgii monachi continuator (Ε' β' p. 727 Muralt p. 820 Bonn.) narrat haec: θεασάμενος οὐν (Theophilites) αὐτὸν (Basilium Macedonem) ἐπιάγουρον καὶ μεγάλην κεφαλὴν ἔχοντα ἐπέθηκεν αὐτὸν Κεφαλᾶν. Istiusmodi igitur commenta nihili sunt. Adde quod logotheta a Cephalas distinguit Rhodium. Locum quo Cephalas memoratur perscripsi De ep. graec. anth. p. 12; nunc addam illos ubi Rhodius nominatur, qui nondum exhibiti simul vitam hominis inlustrant.

Georgius monachus Ε' σ' p. 793 Muralt p. 869 Bonn. δρῶν δὲ Σαμωνᾶς αὐξανομένην τὴν ἀγάπην τοῦ βασιλέως (adversus Constantinum quendam) ἐπ' αὐτὸν βουλεύεται μετὰ μεγίστου κοιτωνίτου καὶ Μιχαὴλ Τζηρίθωνος καὶ ποιοῦσι χάρτην πολυλοιδορον κατὰ τοῦ βασιλέως γράψαντος καὶ συντάξαντος αὐτὸν τοῦ Ῥοδίου νοταρίου ὄντος τοῦ Σαμωνᾶ. Theophanes vero qui dicitur continuatus p. 376 Bonn. nomen integrum servavit δρῶν δὲ Σαμωνᾶς τὴν τοῦ βασιλέως ἀγάπην πρὸς Κωνσταντίνον αὐξανομένην πιττάκιον συντίθησι μετὰ μεγίστου κοιτωνίτου καὶ Μιχαὴλ Τζηρίθωνος (sic) λοιδορίας κατὰ βασιλέως ἔχον ἀπέιρους διὰ τοῦ Ῥοδίου Κωνσταντίνου² τοῦ αὐτοῦ ὑπογραφέως τούτῳ συντάξαντες. Quod circa medium annum 911 factum est; cf. Muralt *Essai* p. 487. Alter locus est Georgii monachi Ε' ι' p. 831 Muralt p. 904 Bonn. ubi narratur rege Symeon mortuo Bulgaros et fame et hostibus pressos Calocyrin monachum mississe, qui pacisceretur, quem ὁ βασιλεὺς (Romanus Lacapenus) ἀποδεξάμενος ἀσμενέστατα παρευθὺν ἀπέστειλε μετὰ δρόμωνος ἐν Μεσημβρίᾳ τὸν μοναχὸν Θεοδόσιον τὸν Ἀβούκην καὶ Κωνσταντίνον βασιλικὸν κληρικὸν τὸν Ῥόδιον³. Quod factum est

¹ Cf. Ferdinandi Hirsch *Byzantinische Studien* p. 54 vel etiam De ep. graec. anth. p. 11.

² Cedrenus II p. 271 Bonn. item duo haec nomina praebet, hausit enim ex Theophane; cf. F. Hirsch *Byzantinische Studien* p. 371.

³ Muralt e cod. Mosquensi edidit Ἀβούκην καὶ Βασίλειον τὸν Ῥόδιον. Ego quod dedi in editione Bonnensi habetur e cod. Paris. nec non apud Theophanem cont. p. 413 Cedrenum II p. 309 Bonn. Quod mihi rectum visum est cum alterum illud inde corruptela nasci potuerit et origo vitii etiam nunc appareat in lectione cod. Vaticani et Leonis gramm. p. 316 καὶ βασιλικὸν κληρικὸν τὸν Ῥόδιον.

a. p. Ch. n. 927 ineunte; cf. Muralt *Essai* p. 504. Iam vides hunc Rhodium nullo pacto eundem esse posse ac Cephalam itemque illius carmina ab hoc vix potuisse in collectionem recipi. Nam cum Cephalas a. 917 fuerit πρωτοπαπᾶς τοῦ παλατίου, quam dignitatem iuvenem obtinuisse non est credibile, circa annum 870 natum eum esse putarim, et saeculo nono exeunte anthologiam suam composuisse; Rhodius autem a. 911 nil erat nisi notarius Samonae, postea demum clericus palatinus evenit. Cum igitur Cephalas compilaret syllogen suam etiam si voluisset vix potuit recipere Rhodii carmina: nam ep. XV 15. 16 regnantibus Leone et Alexandro (906—911) scripta sunt; quod Matranga edidit carmen in Leonem Choerosphactam (Anecd. gr. p. 624) vix ante eius casum (a. 913; cf. Muralt *Essai* p. 491) conditum est; Anth. XV 17 Matranga p. 625—632 tempore incerto.

Leguntur igitur in hoc libro XV carmina aequalium aut adeo iuniorum Cephalae: Arethae, Ignatii, Constantini Rhodii, Michaelis chartophylacis quae a Cephalae recipi non potuere. Eo certius est hunc librum illi non deberi.

Longam permensi et spinosam viam tandem ad finem pervenimus. Demonstrasse mihi videor Cephalae collectionem praeter septem libros Anth. Pal. IV—XII nil continuisse, sed his constitisse re vera.

Bonnae.

Paulus Wolters.